



CN. DOMITIVS, Domitii Neronis, & Antonia Maioris filius, pater Neronis, vir scelestissimus, omnique parte vitae detestabilis homicida. Siquidem Comes missus ad Orientem C. Caesaris iuuenis, libertum suum, quod potare quantum iubebatur, recusaret, occidit. Puerum citatis iumentis haud ignarus obtruiuit, Equiti cuidam Romano in medio foro oculum eruit, Perfidus, maiestatis quoque, adulteriorum, incestique cum sorore Lepida reus factus, mutatione temporum euasit. Tandem Pyrgis, morbo aquae intercutis decessit, sublato ex Agrippina filio Nerone.

AGRIPPINA Germanici & Agrippinae filia, primò ex Cn. Domitio Aenobarbo filium Neronem habens, postea Claudio nupsit, & simul filium in adoptionem dedit. De qua supra.



OCTAVIA Claudii Caesaris, & Messalinae filia. Hanc pater Neroni post matrimonium Agrippinae despexit: cuius consuetudinem citò aspernatus Nero, eamque saepe frustra strangulare meditatus dimisit, ut sterilem. Improbante diuortium populo, relegauit, primùm in Campaniam, dehinc in insulam Pandateriam. Postea sub crimine